

etiam de illo iudicat, qui illum hortatus est fugere et dedit ingenium, quo potuisset se liberare. - De furto autem ista est discretio: aliud est, quod a fratre latenter, etiamsi acum, tuleris; aliud est, si tuam aliis dederis; aliud est, quod ab alio acceperis et tenes absconse. Sciendum est enim, quia de istis omnibus in graviore culpa, i. e. noxa tenendus est. Sed debet esse etiam in his furtis discretio, i. e. si grandis res est, quam furatus est, multis diebus, si parva, paucis diebus; et debet etiam intentio considerari. Et hoc notandum est, quia dupla poenitentia debet esse pro illo, quod ab aliis tulisti, quam quod tibi. Sed sciendum est, quia si ille infans¹⁾ talis fuerit, ut possit ad honorem presbyteratus venire, aut forte presbyter est, non debet in graviore culpa iudicari, sed in minori. Similiter intelligi debet de illo fratre, qui bono studio locutus est cum excommunicato; si forte est presbyter aut potest fieri, tunc non debet in maiori culpa teneri, sed in minori, eo quod S. Benedictus pro duabus causis iussit, ut nullus loqueretur cum excommunicato: una, ut timorem incuteret, nec quisquam audeat talia committere, alia vero, ne occasione bonorum mali loquerentur cum illo, qui solent peccatores magis pervertere, quam ad humilitatem protrahere.

Cap. XXVII.

QUALITER DEBEAT ESSE ABBAS SOLLICITUS CIRCA EXCOMMUNICATOS. *Omni sollicitudine curam gerat abbas circa delinquentes fratres.* - Attendendum est, quia non dicit solummodo *sollicitudine curam gerat*, seu *sollicite curam gerat*, sed dicit *omni sollicitudine*, i. e. cum omni sollicitudine. Per hoc enim, quod dicit *omni sollicitudine*, nihil praetermisit, sed quidquid ad sollicitudinem salvationis animae attinet, cum illis totis debet abbas curam gerere circa delinquentes fratres. Non solummodo dicit *fratres*, sed praemisit *delinquentes*, i. e. peccantes. Et reddit causam, quare *circa*

¹⁾ si ille (puniendus) aut infans . . . (?).